SERENISSIMO
HETRVRIÆ PRINCIPI
FERDINANDO
SVAS EX PHILOSOPHIA THESES

PUBLICO CERTAMINI PROPOSITAS

JOANNES FRANCISCUS FERDINANDUS PAUR FLOR.

IN FLORENTINO SCHOLARUM PIARUM COLLEGIO

EJUSDEM FACULTATIS AUDITOR

ÆTERNUM OBSERVANTIÆ MONUMENTUM

D. D. D.





FLORENTIÆ, MDCXCVI.

Ex Typographia Petri Matini, ſub Signo Leonis Aurei.

SUPERIORUM PERMISSU.

SERENISSIMO

HETRVRIAE PRINCIPI

FERDINANDO

SVAS EX PHILOSOPHIA THESES

PVBLICO CERTAMINI PROPOSITAS

IOANNES FRANCISCVS FERDINANDVS [illegible] FLOR.

IN FLORENTINO SCHOLARVM PIARVM COLLEGIO

EIVSDEM [illegible]

AETERNVM OBSERVANTIAE MONVMENTVM

D. D. D.



FLORENTIAE. MDCXCVI.

In Typographia Petri Matini, sub Signo Stellae.
SVPERIORVM PERMISSV.



Nicola Cassana Pin. Ant: Taddei scul.



SEREN.^ME PRINCEPS.



Ecum officijs, non argumentis certatura se Tibi sistit Philosophia, SERENISSIME PRINCEPS. Agnoscit illa quid Coronato debeat Philosopho, qui Coronam illi præcinxit, cùm magno capite regnaturam excepit: quid autem rependat non suppetit, nisi se Tibi totam oppignoret. Vicem referre sperabat, si, quem Principem adiret, sapientem posset efficere; sed votum deterruit inspectæ primùm eruditæ ad miraculum mentis amplitudo. Elinguis obstupuit arguendi magistra, eum admirata Principem, cui Sceptrum Caduceum, corona laurus, Regnum esset Academia. Novum inter homines portentum quis non suspiciat, terrestre natum ad Imperium Regale caput à Cœlesti dominandi ratione tyrocinium auspicari? quod enim Cœleste magis Imperium, quàm sui se Regem esse, ac in lubrico sensus, animique Solio eas sibi leges firmare, quas colentis exemplum magis, quàm ferentis auctoritas populis imitandas edicat. Hoc illud est, quod in Te uno Philosophia miratur; ut perfectus intra Te Regnator illinc incipias, ubi consummatissimi desinunt, ut altissimum Sapientiæ culmen natura teneas, quod alijs laboriosa desudat exercitatio, ut quem Principibus communem fortuna locum impertitur, proprium Tua Tibi merita secernant, ut ipsa denique Principatus ornamenta Virtutis insignia Tibi præfulgeant. Quid enim Regius Aulæ Tuæ splendor, nisi prælucentes ad Minervæ portum faces? quid ærarij Tui tàm liberaliter patentis opulentia, nisi aurei fontes ad palmas, ad laurus irrigui? quid Sceptrum ipsum, quid Corona decorandum olim fronte, dextraque Tua decus, nisi Cassis, & Hasta muniendæ per Te Palladi destinata? Ita nimirùm quidquid, & quantus es, totus Virtuti præmium pates. Sed una sibi præmium Virtus, illi proinde in Te, vel in illa Tibi consequendum. Tantum at illa meritum prævertit, ut in Te suum testaretur. Ex quo se Tibi totam infudit, sua Tecum omnia communicavit: Cœlum imprimis, debitum serenissimo Soli domicilium. In eo quippe consultissimus Astronomus ita mente dominaris, ut non astrorum motus intelligere,

sed

sed Intelligentia motrix videaris. Illic Avita Maiorum sydera dignitate, quàm loco propinquior intueris, eorum aliquando numerum, ac lucem aucturus. Illic impendentia mortalibus Fata scrutaris, ut Tibi, Regnoque Tuo meliora concilies. Nec minori liberalitate totum illa Tibi terrarum Orbem Geographo peritissimo subiecit, dignum professa, qui unus regeres Universum, cui totum præ manibus obtulit; nec impar à Te illa tulit argumentum. Ea facilitate poße Te regere terras ostendis, qua radio describis; & si gloriæ Tuæ invidit fortuna, merito non detraxit; nam & Sapienti meruiße gloriosius, quàm retulisse. Dignitatem Tuam Tellus ipsa sentire videtur, quæ quot in ea Provincias, quot Regna manu designas, oculo percurris, tot propemodum votis unum Te Regem, unum Te Dominum implorat: Sed Tua reclamat Hetruria, quæ dùm eo Principe fruitur, quem Rectorem Orbis suspirat, Orbi quodammodò parem se iactat. Quid, quod abditissima naturæ penetralia, quæ funditùs illa Tibi reseravit, ipse ingenij Tui opibus cumulasti. Mathematicas illa proposuit, novas Tu figuras addidisti, Quadratum in Adolescente Virum, stantem per Te voluptatis in plano Fortunæ Sphæram. Geometriam, & Staticen explicavit, inde Tu Regno metrum, & moribus gravitatem Tuis comparasti. Arcanos denique Physicorum labyrinthos obiecit, Tu novam per illos veritati viam ad exitum aperuisti. Unum restabat, in quo Sapientia Te sui simillimum optaret, soli ne saperes Tibi. Optantem superavit Augusta Genij Tui munificentia: cùm se ipsam vix caperet, publico se bono largiter effudit. Viva patet Orbi FERDINANDUS Academia, iure NOBILIUM nuncupata, quæ nihil, præter Nobilissimam Auctoris ideam spirat. Huc lectissimi quotquot ex Europa Principes accedunt, ubi Te semel conceperunt exemplar, Regales induunt animos ad Imperij gubernacula formati, si fortuna vocaret. Ita, quod fata citra meritum dederunt, Tua Tibi Virtus ultra votum cumulavit, ut & Regum conditor esses, ac tot in animis regnares, quot ad Regnum formaßes. Quid igitur miraris SERENISSIME PRINCEPS, si tantam in Te verita Maiestatem, ac Sapientiæ celsitudinem, timidè nostra se Tibi sisteret Philosophia. Pudebat illam immenso literarum Oceano tàm impar afferre tributum. Respiravit tamen, cùm ex hilari Tua frontis serenitate deprehendit, Te suum hoc qualecumque munus Tuo de pelago rivulum agnoscere. Si quid ergo est in eo nostrum, quo Te lædat, dissimula, quidquid est Tui, perhumaniter, ut Tua certe merentur, amplectere. Ac si Patrem meum Tua pro viribus in Academia laborantem singulari gratia prosequeris, filium quoque in Cathedra pro Tua gloria pugnantem ne deseras.

SERENISSIMÆ CELSITUDINIS TUÆ

Humillimus, Obsequentiss. Addictisq. Fam. ac Subd.
Io: Franciscus Ferdinandus Paur.

DIA-



DIALECTICÆ PROEMIALIA.

I. LOgica acquisita, quæ naturalem supponit, Obiectum habet materiale res cognitas, formale verò Ens rationis trium mentis operationum directivum. Nec propterea tamen illa scientia rationis, sed omninò realis, non partim quidem speculativa, partim practica, aut eminenter simul utrumque, sed tota simpliciter speculativa, eodemque modo ad alias scientias in statu perfecto ita necessaria, ut earum demonstrationes, & quantùm ad formam syllogisticam effectivè, & quantùm ad assensus scientificos directivè ab illa dependeant. In Utentem verò, Docentemque divisa, non duos habitus realiter distinctos, sed eiusdem habitus duo munera partitur; adeòque non suorum modo præceptorum usus in materia topica, & sophystica ad illam proprijssimè spectat. Verùm etiam in materia demonstrativa (saltem logicali) vtens illa potest appellari.

VNIVERSALIA.

II. NAtura à parte rei fundamentaliter, per intellectum formaliter universalis, sit metaphysicè talis per abstractionem intellectus agentis, logicè verò per comparationem simplicem; ideòque rectè definitur unum aptum inesse multis, & prædicari de illis, quamobrem universale in communi Genus est ad quinque inferiora, in quæ meritò dividitur, quæque sequuntur universalia.

III. Genus unum aptum inesse multis, & prædicari de illis in quid incompletè, in sui definitione formam Genereitatis in recto, naturam verò genericam in obliquo importat, ac de specie, ut totum potentiale prædicatur.

IV. Differentia unum aptum inesse multis, & prædicari de illis in quale quid incompletè, congruenter in supremam, infimam, & mediam divisa (sicut Genus, & Species) constituitur universalis per respectum non ad Speciem, sed ad indiuidua Speciei.

V. Genus, & Differentia sumuntur proximè à tota rei entitate, Genus quidem secundùm potentiale, differentia verò secundum actuale rei; & hæc eadem in spiritualibus conceptus Generici, ac Differentialis origo. In materialibus

rialibus autem Genus radicaliter à materia, differentia à forma deducitur; At in Accidentibus illud ex modo afficiendi substantiam, hæc ex habitudine ad propria cuiuslibet Accidentis principia dimanat.

VI. Species unum aptum inesse multis numero differentibus, & prædicari de illis in quid completè non per respectum subijcibilitatis ad Genus, sed superioritatis ad individua formaliter universalis, ita salvatur in unico individuo (quanquam in unica specie salvari non possit Genus) ut uno posito, cæteris etiam impossibilibus fieri valeat universalis, quod quidem de natura Angelica potissimum affirmamus.

VII. Individuum duplex, alterum vagum, quod ultimò speciei subijcitur, individualitatem ipsam, & nomen comprehendens; alterum signatum, quod de uno tantùm prædicatur, naturam solummodò individualitate affecta significans.

VIII. Proprium quarto modo unum prædicabile de multis in quale necessariò constituitur formaliter universale per respectum ad inferiora Speciei, sicut & Accidens unum prædicabile de multis in quale contingenter, quod potest adesse, & abesse tàm physicè, quàm logicè salva rei essentia.

IX. Duplex Universalium proprietas: Altera Perpetuitas, qua naturæ universales, licèt ab æterno non existant, sunt tamen extra Deum non positivè, sed negativè perpetuæ. Quare propositiones in materia necessaria (non verò contingente) sunt æternæ veritatis; Altera Prædicabilitas, qua Genus, & Species in substantijs (sicut Differentia, Proprium, & Accidens) de suis inferioribus prædicari debent in concreto, in Accidentibus autem in abstracto. Natura quoque in actuali prædicatione retinet universalitatem.

PRÆDICAMENTA.

X. Admissis, quæ circumferuntur, Antepraedicamentis, adiectisque rei prædicamentali conditionibus quinque, ut sit Ens reale, per se unum, completum, finitum, & Genus, vel Species, ipsum Ens in decem Suprema genera, sivè Prædicamenta infra numerata dividimus.

XI. Substantia ens per se subsistens, per hoc essentialiter constituta, non quod accidentibus substet, aut esse in alio neget, sed quod per se subsistat, in Primam, & Secundam, non tanquam in membra realiter distincta, sed tanquam in diversos status dividitur. Quæ licèt substantias omnes creatas, Cœlos, Angelos, & Christum ipsum in sui prædicamento comprehendat, Deum tamen excludit. Et Prima quidem quinque gaudet proprietatibus, non enim subiecto inhæret, nec habet contrarium, licèt sit contrariorum subiectum, nec suscipit magis, & minus, & est hoc aliquid. Secunda verò unicam agnoscit, univocè de inferioribus prædicari.

XII. Quantitas prædicamentalis realiter à substantia distincta, Accidens extensivum substantiæ in partes integrantes, cuius essentiale constitutivum extensio partium in se ipsis, rectè in Permanentem, & Successivam dividitur. Permanens alia Continua, quæ lineam, superficiem simplicem, & corpus amplectitur; alia Discreta, numerus nempè quantitativus, quem veram, & propriam quantitatis speciem asserimus. Successiva, Tempus, Motum, & Orationem improprias quantitatis species includit. Locum autem in ratione quan-

quantitatis à superficie non distinguimus. Eius denique proprietates physicæ quatuor, Extensio localis, Impenetrabilitas, Mensurabilitas, ac Divisibilitas: Attributales verò tres non habere contrarium propriè dictum, non suscipere magis, ac minus, & res æquales, aut inæquales denominare.

XIII. Qualitas ex Philosopho Accidens, secundùm quod dicimur quales, clariùs ex Angelico, Accidens dispositivum substantiæ in se ipsa, quatuor veluti paria subdividit; quorum primum Habitus, & Dispositio, utrumque qualitas determinans subiectum, ut benè, vel malè se habeat, ille ex natura sua difficilè, hæc facilè mobilis à subiecto; ambo propterea ex principijs essentialiter diversis specie diversa, & in Entitativum, ac Operativum uterque divisus. Secundum Potentia, & Impotentia qualitas ad agendum, vel resistendum subiectum disponens, non duplicem tamen speciem, sed duos eiusdem speciei status propriè constituens. Tertium Passio, & Passibilis qualitas alterationem sensibilem causans, vel ab illa causata; Quartum Forma, & Figura, qualitas ex dispositione partium quantitatis resultans. Cuius denique tres in communi Proprietates, habere contrarium, suscipere magis, & minus (paucis exceptis) & similitudinem, dissimilitudinemque fundare.

XIV. Relatio prædicamentalis, reale nimirùm Accidens, cuius totum esse est ad illud se habere, realiter à fundamento distincta, in Mutuam, & non Mutuam dividitur: Et sanè Mutua tam Æquiparantiæ, quàm Disquiparantiæ, alia in Convenientia, & Disconvenientia, alia in Actione, & Passione; Non Mutua verò in mensura, & mensurabili fundatur. Utraque tamen ad aliquid relativum terminatur, Mutua quidem intrinsecè, & subiectivè, non Mutua extrinsecè tantùm, & terminativè. Earumque unitas specifica à fundamento simul, ac termino, diversitas autem ex alterutrius diversitate desumitur, quemadmodùm, & unitas Numerica ex unitate Numerica subiecti deducitur. Proprietates denique communes quinque: Non habere contrarium propriè dictum, Non suscipere per se magis, ac minus, sed invicem converti, & simul esse natura, & cognitione; Ex quibus tres ultimæ propriè Mutuis, impropriè non Mutuis convenire videntur.

XV. Actio Prædicamentalis rectè definita Actus secundus potentiæ activæ, sive Accidens, quo causa constituitur actu causans, in Immanentem, & Transeuntem ita dividitur, ut æquè ad Prædicamentum Actionis utraque pertineat. Passio quoque bene definitur Actus secundus potentiæ passivæ, aut Accidens, per quòd subiectum constituitur actu recipiens effectum.

XVI. Ex quadruplici Ubi, Divino, Spirituali, Sacramentali, & Circumscriptivo, ultimum tantùm in Prædicamento ponitur; Estque Accidens resultans in Corpore ex circumscriptione loci ambientis, cuius species sursùm, deorsum, &c. non secundùm particularia corpora, sed ex respectu ad centrum, Polos, & circumferentiam Orbis attenduntur. Situs autem Accidens est corporis partes in loco disponens, rectè in Naturalem, & Innaturalem divisus.

XVII. Quando demùm Accidens in rebus resultans ex eo, quod sint in tempore, tanquam ab eo dependentes, & mensuratæ, cuius totidem species, quot interrogationi quando? respondent, Angelicum à suo Prædicamento excludit. Habitus autem Accidens est in rebus ex circumpositione vestium, aut Armorum resultans, cuius fundamenta specifica vestes, & Arma, illæ

Homi-

Hominum, & pecudum, hæc Offensiva, & Defensiva in varias utrinque species divisa.

XVIII. Prædicamenta, modi scilicet Prædicamenta consequentes, quinque. 1. Oppositio, rerum inter se repugnantia, quadruplex, Relativa, Contraria, Privativa, Contradictoria cæterarum causa. 2. Prioritas modus, quo unum aliud præcedit, Aristoteli quintuplex, Temporis, Consequentiæ, Dignitatis, Ordinis, & naturæ, vel in quo, vel à quo, quibus ex D. Th. sextam adnectimus Prioritatem Generationis Prioritati Perfectionis oppositam. 3. Simultas totiplex, quotuplex Aristotelica Prioritas. 4. Motus, via, seu tendentia ad terminum, cuius est fieri, sextuplex, Generatio, Motus localis, Corruptio, Alteratio, Augmentatio, ac Diminutio. 5. Habere modus, quo una res dicitur ab alia haberi, quintupliciter, per Inhærentiam, Continentiam, Possessionem, Relationem, & Juxtapositionem.

PROPOSITIO.

XIX. Mentalis est simplex qualitas, sivè unicus conceptus unionem Prædicati cum subiecto reprehesentans.

Contradictoriarum de Futuro contingente ante decretum Dei neutra est determinatè vera, vel falsa, quemadmodum & contradictoriæ de Futuro conditionato, nisi quatenùs involvunt, aut supponunt decretum.

ARGVMENTATIO.

XX. Oratio, in qua unum ex alio infertur, in quatuor species dividitur, in Syllogismum, & Inductionem perfectas, in Enthymema, & exemplum imperfectas.

Syllogismus ratione materiæ triplex, Demonstrativus, qui propositionibus necessariò, & evidenter veris, Opinativus, qui probabilibus, Sophysticus, qui falsis, apparenter tamen veris constat; ut primus scientiam, secundus opinionem, tertius errorem ingeneret.

XXI. Demonstratio, Syllogismus necessarijs, veris, & evidentibus constans propositionibus, quadruplex, Propterquid, & Quia, à Priori, & à Posteriori, duas habet proprietates; & quod effectivè scientiam producat, itaut assensus præmissarum efficienter causet assensum Conclusionis; & quod Intellectum ad eiusdem Conclusionis assensum ita necessitet, ut posito præmissarum assensu, nullo modo dissentire possit conclusioni.



OCTO

OCTO PHYSICORVM LIBRI.

I. PHysica una in specie athoma scientia simpliciter speculativa, licèt Obiectum habeat indiscriminatim tàm Corpus, quàm Ens, vel Substantiam mobilem, aut Naturalem, illud tamen per Ens mobile congruentiùs exprimitur.

II. Entis autem Mobilis principia, non numeri Phytagorici, aut substantia Parmenidis, & Melissi essentialiter uniformis, apparenter diversa, non Aqua Thaletis, aut Aer Diogenis, non Ignis Heracliti, aut quatuor Empedoclis Elementa, non Panspermiæ Anaxagoræ, particulæ, quæ nunc prodeundo, nunc latendo rerum diversitatem efficiant, aut Democriti, Leucippi, & Epicuri corpuscula, sive Athomi cum suis affectionibus, figura .v. ordine, situ, magnitudine, motu, & quiete: sed ea sunt, quæ neque ex alijs, neque ex alterutris, sed ex ipsis omnia (naturalia) fiunt; tria .s. in fieri, Materia, Forma, & Privatio, duo in facto esse, Materia, & Forma, ex quibus Forma, & Privatio dicuntur prima contraria, non formaliter, sed incompossibiliter, vel etiam radicaliter, quatenùs Forma in uno subiecto, & eius Privatio in alio sunt radices qualitatum positivè contrariarum; Materia verò, & Forma ad summum relativè.

III. Materia Primum Subiectum uniuscuiusque, ex quo fit aliquid primò, & non secundùm Accidens, est ita pura potentia, ut nullum includat actum entitativum, nullam, nisi negativam dicat unitatem specificam, nullam habeat ex se propriam existentiam, nec sine Forma possit, etiam divinitùs, existere; & quanquam per se ingenerabilis, & incorruptibilis, est tamen prima radix corruptionis; hinc innato quodam appetitu omnes respicit Formas, quas non habet appetitu tendentiæ, quas habet, complacentiæ, quas habuit, capacitatis: Undè probabilius est, tàm Cœlestem, quàm Sublunarem eiusdem esse rationis.

IV. Forma substantialis actus primus materiæ, duplex est, alia purè materialis, quæ de potentia materiæ in rebus genitis simpliciter educitur, in creatis autem concreatur, eamque proinde extra subiectum existere absolutè repugnat; alia spiritualis ut quod, quæ sicut à materia, nec in fieri, nec in esse, nisi quantùm ad unionem dependet, ita & sine illa naturaliter existere potest. Plures autem eandem informare materiam, aut plures ab una materia actuari, contradictionem involuit. Forma verò Accidentalis actus secundarius subiecti, si fuerit illi connaturalis, & propria in eodem instanti, ac per eandem actionem totius productivam educitur de potentia subiecti; at Communis, & contingens, licèt fiat per eductionem à subiecto, non tamen fit necessariò per eandem actionem, nec in eodem instanti cum toto, sed ad summum contingenter.

V. Compositum substantiale Materia, & Forma, tanquàm partibus essentialibus, ita coalescit, ut in actu unionis, nec istæ per aliquid intrinsecum à se formaliter distinctum, sed immediatè per proprias entitates, ut actus, & potentia, consocientur, nec illud à partibus unitis, tertia velut entitas, distinguatur.

VI. Na-

VI. Natura, Principium motus, & quietis eius, in quo est primò, & per se, rectè dividitur in Materiam, & Formam ; unde Anima Rationalis, quà talis in rigore, Compositum verò, sicut & Cœlum nonnisi lato modo, Deus autem, & Angeli nullatenùs naturæ rationem participant. Hostis autem Naturæ Violentia, Principium motus ab extrinseco, passo non conferente vim, eos minimè motus comprehendit, qui ab Agente superiori, Angelo, Cœlis, Elementis, inferiori naturæ ad commune beneficium imprimuntur, multoque minùs, qui ab ipso naturæ Conditore Deo, tanquàm ab universali motore proficiscuntur ; Quem tamen, si ut Agens particulare velit agere, violentiam inferre posse non negamus Ars denique Naturæ imitatrix, recta ratio factibilium, & Artificiale, cuius principium est extra, in ratione .s. practica Materiam disponente, etsi Naturæ motus iuvare, & plura possint opera præstare, applicando activa passivis, nequeunt tamen, aut illius primum esse principium, aut hæc omnia, præsertim aurum efficere, quia virtutes effectrices, non omnes Arti subduntur.

VII. Causa Principium, ex quo per physicam dependentiam sequitur esse alterius, Quadruplex notissima, sic ad effectus suos comparatur, ut omnes quidem in ratione formali causæ sint illis natura priores, Materialis autem, & Formalis ignobiliores, Efficiens verò principalis, vel nobilior, vel æquè nobilis, Finalis denique primaria in Agentibus benè ordinatis perfectior, in deordinatis quandoque imperfectior. At secundùm causalitatem ita disponuntur, ut Materialis quidem Formalem ordine, sed hæc illam dignitate præcedat, Efficiens utrique, Finalis omnibus & ordine, & nobilitate præferatur; Et binæ sibimet invicem sint causæ, Materia .v. & Forma, Efficiens, & Finalis.

VIII. Materia, & Forma non per intrinsecam formalitatem à se distinctam, sed per propriam entitatem in ratione causæ constitutæ duas adhuc ad causandum conditiones expectant, influxum .s. Efficientis formam applicantis, & dispositiones tùm prævias, tùm concomitantes, quibus habitis ultimus illis, adæquatusque respondet effectus Totum Compositum. Idea verò Forma extrinseca, ex cuius imitatione Artifex operatur Agentibus tantùm intellectualibus simpliciter necessaria, propriè quidem ad causam Formalem, nonnihil tamen ad Efficientem etiam, & Finalem spectat.

IX. Causa Efficiens, Principium, à quo primò profluit motus, iuxta notam divisionem undecuplex, causalitatem suam, ipsum agere meliùs, quàm actionem agnoscens, per illam indiscriminatim, & essentiam, & emanantes inde proprietates producit, necessaria sibi ad agendum instrumenta, cùm nulla in creatis substantia sit immediatè operativa. Ipsum autem instrumentum causa alterius virtute agens, duplicem exigit influxum, & Principalis, ut ad eius effectum elevetur, & Proprium, ut ex se ipso subiectum attingat.

X. Finis, cuius gratia aliquid fit, realis, ac verissima causa, solo sui amore causalitatem exercet ; proindeque sola bonitas vera, vel apparens (malum verò, qua tale, nunquam) est ratio formalis movendi ad finem in actu primo : Eius autem apprehensio conditio tantùm, & applicatio. Quare, cum omnia bonum naturaliter appetant, omnia pariter propter finem agunt, Insensitiva quidem executivè, Bruta insuper apprehensivè, Rationalia tandem etiam directivè.

XI. Æquè

XI Æquè repugnat plures causas totales eiusdem ordinis eundem numero effectum producere, ac productum ab una, quæcumque illa sit, potuisse ab alia produci.

XII. Fortuna, & Casus, causæ per accidens effectum præter intentionem agentis obtrudentes, in eo distinguuntur, quod Illa locum in Liberis, excepto Deo, Hic in Naturalibus sibi vendicet. Fatum etiam Catholico sensu explicatum pro inevitabili Divinæ Providentiæ decreto circa futura contingentia non solùm admittendum, sed & Cœlorum influxibus, & præordinatæ causarum dispositioni est accomodandum.

XIII. Motùs, actus Entis in potentia, quatenus in potentia, in Mobili, non in medio subiectatus, & ad tria tantùm Prædicamenta, Quantitatem, Qualitatem, & Ubi possibilis, quemadmodùm unitatem, & distinctionem, sive genericam, sive specificam à termino ad Quem (à quo modaliter distinguitur) & numericam ex unitate subiecti, termini, ac temporis sortitur, ita contrarietatem ex terminorum oppositione desumit; Quamobrem idem Mobile contrarijs quidem motibus secundùm diversas, eadem tamen in parte nonnisi per accidens localiter moveri potest. At in puncto Reflexionis brevissima illi quies necessaria. Motus autem indivisæ comites, Actio, & Passio, modaliter tantùm ab eo distinctæ, hæc ab Agente, in quo subiectatur, egressum, illa in Passo, quod afficit, receptionem designat; Eius demùm conditiones duæ, ut omne, quod movetur, ab alio moveatur, & præsentia motoris ad Mobile, ne detur actio in distans.

XIV. Infinitum, quod nullis clauditur terminis, Cathegorematicum soli Deo dicatur; Syncathegorematicum creaturæ nullo in Prædicamento repugnat. Naturæ tamen legibus suos unicuique terminos magnitudinis Maximum, parvitatis Minimum quod sic, transilire nefas.

XV. Tempus, mensura motus secundùm prius, & posterius, in successione futuri ad præteritum formaliter consistens, præsentiam non in parte, sed in instanti habet, ita ut sit Nunc variabiliter fluens, sicut æternitas est Nunc invariabiliter stans: Quo fluxu corporum permanentiam, & motus propriè mensurat, nam Dei durationem æternitas, Angelorum ævum, eorumque operationes aliud à nostro spirituale tempus metitur. Ab instantibus autem ipsum copulantibus non rerum Inceptionis, Desitionisque termini dependent.

XV. Locus extrinsecus, sive Mathematicus non Ubi, non Spatium imaginarium extrinsecum, nec reale cum locato penetratum, sed superficies concava corporis ambientis est, non ad rationem, sed ad identitatem loci essentialiter immobilis: Intrinsecus autem est ipsa præsentia passiva locati, quæ dicitur Ubi. Mathematico superaddit naturalis qualitatem locati conservativam. In utrisque sunt actu omnia corpora, sed ultima Sphoera per accidens, & in potentia ratione partium, quæ non contiguæ, ut ad locationem requiritur, sed continuæ sunt. In hoc autem, etsi duo corpora supernaturaliter locari liceat, pluribus tamen locis unum circumscribi corpus repugnat; Sicut & privativum dari Vacuum quacumque creata virtute in ea quantitate, quæ sit naturæ violenta; eo tamen dato, non implicat illic motus successivus. At minima vacare Spatiola, ad salvandos naturæ motus, omninò probabile.

XVII. In-

XVII. Indivisibilia realia in continuo tàm copulativa, quàm terminativa non sunt res à partibus distinctæ, sed earum extremitates: non tamen ex solis Indivisibilibus constat Continuum, sed partibus, & Aliquotis simpliciter finitis, & proportionalibus actu quidem finitis; potentia verò, seu mathematicè infinitis.

LAUS DEO, BEATÆQUE VIRGINI MARIÆ.



Disputabuntur publicè in Ecclesia S. MARIÆ AD RICCIOS Scholarum Piarum Mense Septembris, Die Hora.

